

(6) *Confilia nec non colloquia, si non debent esse vana, dirigenda sunt ad verbi divini normam, ad ductum Spiritus Sancti, ad finem legitimum, &c.*

#### USUS E VERSU II.

(1) *Regum Magnatumque in mundo status valde est periculosus ob communem eisdem fastum, verbi contemptum sui solius aestimium, &c.*

(2) *Non omnis confociatio aut confœderatio legitima cenſeri potest.*

(3) *Consultatio quandoque tendit adversus Deum ipsum ejusque Messiam, utut consultantes vel non attendant, vel diffideantur; qui vos contemnit, me &c. Luc. X, 16.*

(4) *De Messia vel Christo cuius constare debet ratione persona, officii, &c.*

#### USUS E VERSU III.

(1) *Caro licentiam semper appetit; adeoque legum honestatisque vincula omnia perumpit; v. Pſal. XXXII, 9. Jerem. II, 24. VIII, 6. v. 8.*

(2) *Pii incedunt secundum regulam: Galat. VI, 16. Tit. II, 12.*

(3) *Bos vel equus, ruptis domini sui vinculis, luporum urſorumve fieri solet prada: sic effrenes pueri, milites, &c.*

#### USUS E VERSU IV.

(1) *Dei sedes in caelo non per inclusionem aut a terris absentiam; sed ratione majestatis omnia sublunaria complectentis, gubernantis, inspicientis, &c.*

(2) *Deus proin tyrannis omnibus manet inaccessus & invictus.*

(3) *Rifus Dei non est Sardonius, sed ineptissimarum machinationum significativus, quomodo gigas rideret murium concursationes, &c. quid miserum sibi vult latam? Sir. X, 9.*

(4) *Illuſoribus illuditur Prov. III, 34. quod judici integrum est, non statim reo licet.*

#### USUS E VERSU V.

(1) *Tumultibus bellicis ingentibus ridens Deus opponit verba: loquitur non tamen inaniter; instruit, debortatur, minatur, per ministros, prodigia, &c. Pſalm. VII, 12. seqq.*

(2) *Alloquium excipit confusio vel confternatio, quando animum aufert, ut terreat folii motus, Job. XV, 20. Lev. XXVI, 36. Exempla vide Genes. XXXV, 5. Pſal. CV, 38. Jos. X, 10. 1. Sam. VII, 10. Noli igitur timere grex pusille; 1. Petr. III, 13.*

#### USUS E VERSU VI.

(1) *A Deo ipſo non solum omne magistratus est imperium, sed imprimis Messia regnum, non Adam eundem excogitavit, precibusve apud Deum obtinuit, (quomodo Israel Saulem,) sed ipse caelestis Pater Filium donavit mundo; Joh. III, 15. Dan. II, 44. &c.*

(2) *De Messia regno v. LL. itidem*

(3) *De ejus unctione.*

(4) *Sion typus ecclesiae; sicut David suum egregie quoque referebat Filium ratione status cum exinanitionis tum exaltationis, &c.*

#### USUS E VERSU VII.

(1) *Officium Christi propheticum considerandum venit quoad Enarrationem, factam vel immediatè, in statu*

*exinanitionis, vel mediatè, per apostolos horumque successores, ad finem usque seculi.*

(2) *Statutum Domini commonefacit nos omnium Scriptura Sacra dogmatum revelatorum; de quibus in L. de Scriptura S.*

(3) *De Filiatione Messia eternâ in L. de Christo: item Ebr. I, 5. Joh. V, 26.*

#### USUS E VERSU VIII.

(1) *Filius Dei, in aeterno Hodiè genitus, postulat a Patre, nimirum tanquam homo & filius Davidis factus; secundum quam naturam Patre etiam minor est, & accipere potest, Joh. XIV, 28. XVII, 5. X, 30. XVI, 14. 15. &c.*

(2) *Si Filius Immanuel orat, quidni potiùs nos oraremus miseri? L. de precibus.*

(3) *Gentes, Messia hereditas: L. de Ecclesia catholica, ad mundi finem duratura &c.*

(4) *Quisque indies in bono confirmator fecundusque (Tit. II, 12.) se Christo gerat acceptabilem, instar possessionis charæ, 1. Petr. II, 9. Exod. XIX, 6. &c.*

#### USUS E VERSU IX.

(1) *Christi regis est Pascere seu gubernare, imo pro ratione objectorum, si hostes occurrerent gregis, comminere.*

(2) *Sceptrum Christi non solum est verbum oris Jes. XI, 5. Rom. I, 16. Ebr. IV, 12. verum potestas insuperabilis ac ferrea, qua instar plumbi nequit flecti: Pſal. CX, 1. 5. 6. 1. Corinth. XV, 24. Phil. II, 8. Ebr. XII, 2. 1. Petr. I, 11.*

(3) *Homo, utut fastuosus & coram mundo insigniter potens, coram Deo est instar testæ figulinae, pulvis atque cænum: Sir. X, 9. Jesa. XXX, 12. o miser homuncio time!*

#### USUS E VERSU X.

(1) *Tempus gratiae praesensque Nunc attendendum cautissimè: Ebr. III, 13. Pſal. XCV, 8.*

(2) *Magnatibus respicientia vel summè necessaria, Pſal. LXXXII, 7.*

(3) *Se suumque periculum tempestivè cognoscere, nec non correptionem admittere, est felicissimè Sapere. L. d. Pœnit.*

(4) *Terram vel terra incolas prudenter judicare, innocuos defendere, maleficos punire, est præcipuum magistratus officium. L. de Magistratu.*

#### USUS E VERSU XI.

(1) *Dei cultus non absolvitur externâ reverentiâ vel ceremoniis; sed cordis præcipue timorem obsequiumque sincerum requirit. v. Primum præcep.*

(2) *Etiam magnates se sub Deo recordentur: Genes. L, 20.*

(3) *Omnium securissimè gaudent, qui Deum filialiter semper timent: Phil. IV, 4.*

(4) *Gaudium comitatur tremor: Phil. II, 12. nam, ut Gregorius habet, spes sine timore luxuriat in præsumptionem, & timor sine spe degenerat in desperationem.*

#### USUS E VERSU XII.

(1) *Osculum promptissima & cum amore conjunctæ subjectionis offerendum Salvatori a quibuslibet. Conf. Hof. II, 19. Luc. VII, 38.*

(2) *De Filiatione jam monitum supra v. 7.*

(3) *Ut gratia sic & Ira, penes Messiam observanda venit sanctissima: iudex ipse veniet adversus incredulos se verus: Sir. V, 7.*

B 3

(4) Per-